



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

IX. Vdalfridus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

dem Abbatiam precibus & seruitio predicti Antistitis deuictus, oblati prius regalibus circa Rhenum curtibus, in quibus & Thusburg, cum omnibus suis pertinentiis, ad Eystattensem Episcopatum regali donatione tradidit, & chirographo aureis literis inscripto stabilivit. His ita peractis prudens Episcopus eiecit Monachis canonicos ibi fecit, eorumque prebendam paucis ex redditibus instituit, ceteris tum sibi retentis, tum militia distribuit. Tunc primum Aureacensis Episcopatus \* milites habere coepit, cum antea aut nullum, aut per paucos habuisset. Nam hodieque ex tanta Aureacensis militia multitudinem tribus tantum seu quatuor exceptis, ceteri omnes beneficiati sunt ex huius Abbatia bonis.

\* nobiles Casallos, feudatarios.

Interfuit & subscripsit Erchanbaldus Concilio Triburiensi, quod celebratum est sub Arnulpho Imperatore anno salutis DCCC. XCV.

Parum porro interest, siue Erchenbaldum siue Erchenboldum scribas: utraque enim scriptura vsitata est; nec diuersum hominem facit; & frustra sunt, qui Williboldum a Willibaldo, & Wuniboldum a Wunibaldo discriminant, & S. Bonifacii comitatum & societatem nouis comitibus & sociis augent. Quoties in istis Germanicis vocabulis mutatur a in o. ut Reginaldus, Reginoldus, Reinaldus, Reinoldus, Arnaldus, Arnoldus, & similia? neque vlla certa scribendi ratio in his Anglicis, Saxonis, & Alamannicis vocabulis obseruatur, ut videre licet tam in impressis, quam in calamo exaratis codicibus.

## IX. Vdalfridus seu Vlfridus.

Ecce potestatem capit Vdalfridus eandem.

Sedit annos XXXI. obiit Kalendis Ianuarij, anno Redemptoris DCCCC. XXXIII. Cæsaribus Ludouic.

Hh co.

co III. Conrado I. & Henrico Aucupi, charus fuit, vt scribunt ex Bruschio Magdeburgici Cent. X. cap. 10. à quibus etiam multa priuilegia Ecclesie sue obtinuit. Idem cum propter morbum synodo Dingelsingensi interesse non posset, Legatos suos misit, *Sarcolochum & Godbertum*. Et qui nam isti? *Sacrificuli*, inquit Magdeburgici Centur. X. cap. 10. quos *Chorepiscopos* vocant. Nec hoc conuicium semel posuisse contenti sunt; idè prius ingesserant, cap. 9. vbi de synodis disputant. Sed hic mos est Centuriatorum, vt omnibus bonis sacerdotibus maledicant, & ignominiosa nomina imponant, solis illis parcunt, qui bonis aduersati sunt, qualis in primis, Clemens ille, Adelbertus, Samson & alij S. Bonifacij hostes iuracissimi. Isti nimirum Centuriatoribus non sunt *sacrificuli*, sed viri vel in primis *uenerandi ac colendi*.

Est autem hæc Dingelsingensis synodus diuersa ab illa, quæ eodem in loco celebrata est sub Thassilone Boiorum Duce anno Redemptoris DCC. LXXII. vt ipsa temporum ratio docet. Aiunt Centuriatores, *Arnulphum Bavaria Ducem deliberationi synodali præfuisse, & simul cum patribus decreta edidisse*. Vnde hoc illis notum? Vnde pleraque alia, nempe ex proprij corebri bibliotheca, vbi asseruant, & quando opus est, inspiciunt, optimæ notæ manuscriptos Codices, & ex illis Centurias suas faciunt. Inde tamen perspicuè colligo, Arnulphum nec Lutherano, nec Calviniano spirito instinctum fuisse; nam *prædia Ecclesiasticorum, quæ partim Vngari depopulati erant, partim alij occuparant Episcopis ac Monachis restituit*. Quis Lutheranus aut Calvinianus hoc faceret? *Templis & sacris adibus redditus constituit, quibus reparari queant*. Da mihi Lutheranum aut Calui.

Caluinianum, cui sit eadem liberalitas & pietas? *Frisingensi Episcopo, bona qua abrepta fuerant, reddit. O rem miri, quin & inauditi in schola Lutherana & Caluiniana exempli. Sectarij nostri non modò multa Episcoporum bona, sed & integros Episcopatus inuaserrunt. Quis vel vnicam cogitatiunculam de restitutione suscipit?*

*Episcopos, Monachos, Sacerdotes, rursus intra metas disciplina retrahit; quia nimis populariter in istis rerù omnium turbationibus viuere didicerant. Nec hoc Lutheranum, aut Caluinianum est; quia quò Sacerdotes & Monachi sunt dissolutiores & flagitiosiores, eò Quincieuangelicæ rei melius prospectum est, cuius tales sunt seminarium. Hæc hæctenus occasione Synodi Dingelringensis, ad quam Vdalfridus Episcopus legatos suos ablegauit.*

## X. Starchandus.

*Ex in Starchandus regit Ecclesiam venerandus:*

Et quidè tempore satis longo, nempe annis XXXI. vt habet Gundackerus; Bruschi anus Catalogus XX XII. anno tribuit; occisus est ab Vngaris pugna commissâ in Campo Lyci (auff dem Sechfeld) cui etiam S. Vdalricus Episcopus Augustanus interfuit, qui mortuum, Starchandum ipsemet Eichstadium ad sepulturam, reuexit. Sanctus autem Vdalricus *Eichstadio discedens cum ad veterem sagum, in monte Australi hodie q̄. stantem, venisset, inquit Anonymus, versa facie ad templum ciuitatis Aichstadianæ. sic exclamasse fertur. Vale Villibalde vir sanctissime, vale: Ego omnium mortalium mihi charissimum iam prope te deposui ac sepelini; iccirco ad tuam istam urbem post hac venire amplius animus mihi non est: viue igitur & æternum vale.*

Hh 2

Cate.